



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 73. Henrici obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. capti detinebantur, libertatem restituit, A. C. 1509. dummodo debitum quadringentos solidos (*) non excederet, Gallis vero pecunias, quas ipsis debebat, ex proprio peculio numeravit: Cum autem poenitentiam suam haud perfectam fore censeret, nisi etiam ingentes pecuniarum summas, quas ejus Ministri a privatis quibusdam persæpe extorquebant, integre restitueret, hinc disertis verbis in testamento cavit, ac Successorem suum Religione obstrinxit, ut cunctis illata damna repararet: etsi melius longe fecisset, si ipse adhuc in vivis existens huic oneri satisfacisset; quippe, ut fieri amat, in hoc quoque suprema testatoris voluntas aut non integre servata, aut penitus neglecta fuit.

§. LXXIII.

Henrici obitus.

Baco. hist. regni Henrici VII.

Polyd. Virg. in sua regia, huic mundo valedixit, anno ætatis quinquagesimo secundo, regni sui vigesimo quarto.

hist. Angl. l. 26. sub fin.

Harpsfeld. hist. Eccl. Angl.

Marian. l. 29

Denique Henricus hoc anno die vigesima secunda Aprilis Richemundiæ in sua regia, huic mundo valedixit, anno ætatis quinquagesimo secundo, regni sui vigesimo quarto. Corpus ejus translatum fuit Westmonasterium, ibique in magni-

(*) Vulgo vocantur Schilling, valentque 12. Stüber, seu quadrantem Imperialis.

magnifico repositum tumulo, quem in splendidissimo Sacello paucis ante obitum suum annis absoluto erigi jusserat. Suscepit Henricus ex Elisabetha Eboracensi Eduardi IV. filia natu majore tres filios, (*) quorum primus erat Arthurus Walliæ Princeps, qui nuptiis cum Catharina Ferdinandi, ac Isabellæ filia contractis die secunda Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo secundo fatis functus est. Alter erat Henricus defuncti Successor, qui fratris sui primogeniti viduam sibi copulavit. Tertius denique Edmundus eodem anno millesimo quadringentesimo nonagesimo nono vix natus vivis ereptus est. Ex eodem connubio quatuor procreaverat Filias, quas inter prima erat Margarita Anno Salutis millesimo quingentesimo tertio Jacobo IV. Scotiæ Regi, undecimo autem post anno Archamboldo Duglassio, & tandem Henrico Stuart nupta. Secunda fuit Elisabetha, quæ Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, tertium ætatis suæ annum, duosque menses agens, morte sublata est: Tertia vero Maria, quæ primum Ludovico XII. Galliarum Regi, demum Suffolciæ Duci desponsata fuit. Postrema

Sæcul. XVI.
A. C. 1509.

(*) Polydorus Virgilius Henrico attribuit quatuor filios, totidemque Filias.

Sæcul. XVI. ma denique Catharina, quæ eodem, quo
A. C. 1509. nata est, anno fatis cessit, nimirum mil-
 lesimo quingentesimo secundo.

Eluxit enimvero Henricus præclaris admodum virtutibus, atque eximiis animi dotibus, nec tamen nævo suo caruit, unde quorundam vituperium, aliorum laudem sibi conciliavit; idque præcipue vitio ei vertitur, quod immodico in Lancastrienses, unde ortum duxerat, studio abreptus, tanta severitate Eboracenses infectaretur, ut nonnunquam nec ipsi adeo Reginæ conjugii suæ parceret, indeque plurimum invidiam in se concitaret. Præterea corradendæ pecuniæ studiosissimus erat, nec Ministri nisi ærario augendo intenti essent, diu Regis gratia valebant. Inde prodierunt omnes ii tumultus, qui regiminis felicitatem in Anglia turbabant, nec raro eam ob causam populus ad seditionem commotus identidem occasionem vindictæ sumendæ quærebat. Ast cum Henricus singulari rebelles ad obsequium reducendi dexteritate polleret, hinc avaritiam suam corrigere haud multum curabat (*).

§. LXXIV.

(*) *Æquius ac verius de Henrico sentit cum aliis Scriptoribus Natalis Alexander Sæcul. XV. cap. 3. articulo II. affirmans: Henricus colligendæ pecuniæ, mulctæ præsertim nomi-*

ne